



SABINA, Adriani Imperatoris vxor. Hanc vt asperam & morosam, & quod cum Septitio Claro, Praefecto Praetorii, & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro, familiaris, quàm reuerentia domus aulicæ postulabat, egerat, dimissurus erat, si priuatus fuisset. Seruilibus penè iniuriis affecta, ad voluntariam mortem compulsa est, nec sine fabula veneni dati ab Adriano, defuncta est.

ANTINVS ex Cethnide, Bithiniæ vrbe, quam Claudiopolim vocant, ortus, eximiae pulchritudinis puer, in delitiis Adriani habitus, quem mortuum siue in Nilum ceciderit, siue immolatus, muliebriter fleuit. Quare ob eius amorem, urbem eo in loco, quo oppetit conditam, ab eo denominauit, eius statuas per vniuersum orbem terrarum, atq; etiam effigies erexit, templum ei apud Mantineam constituit, multaq; Numismata aurea, argentea, & aerea in honorem eius excudit.



L. CAEIONIVS COMMODVS, qui & AELIVS VERVS dictus, Caionii Commodi filius, nobilissimis maioribus, quorum origo ex Hetruria vel ex Fauentia fuit, natus: Ab Adriano eo tempore, quo de necessario successore cogitabat, adoptatus, statimq;